Reſpondeo negando conſequentiam; ut enim conſtat ex dictis n. 192. duas in miraculis Chriſti Patres diſtinguunt actiones phyſicas, unam tangendi humano more defunctum, vel ægrotum, & hanc inquiunt fuiſſe ſolius humanitatis, aliam verò ſanandi, vel ſuſcitandi, & hanc inquiunt fuiſſe divinitatis. Et quandò mulier, quę ſanguinis fluxum patiebatur, tetigit veſtimenta Chriſti, & ſanata eſt, ille tactus non erat actio deſignata à Deo, ut conditio, ad quam miraculum ſequeretur, idemque cenſendum eſt de ſimilibus actibus, non ſolùm ſub ratione meriti, ſed ſub ratione talis conditionis. Nec locus adductus poteſt in eo rigore accipi, nam licet humanitas fuiſſet aſſumpta, ut phyſicum inſtrumentum ad facienda miracula, non tamen id fecerunt veſtes Chriſti, quæ ſolùm tunc fuerunt immediatè tactæ, & ex quarum contactu dixit virtutem à ſe exiiſſe. Ad Confirm. negatur minor cum ejus probatione; jam enim ſupra probatum eſt n. 191. aſſumi, ut phyſicum inſtrumentum obedientiale ad actiones miraculoſas, involuere imperfectionem ex parte modi producendi; probatio autem valeret, ſi humanitas Chriſti elevaretur ad miracula facienda per modum cauſæ principalis.

203 Sed replicat Baldius, humanitatem Chriſti ad efficienda miracula concurriſſe quidem phyſicè, ſed non inſtrumentaliter, aut ad modum inſtrumenti, ſed efficienter, ſeù ad inſtar cauſæ verè efficientis, licet non principalis, ſed ſecundariæ, ſcilicet, per virtutem acceptam à Deo per unionem hypoſtaticam; ut verò explicet, quæ ſit iſta virtus communicata animæ Chriſti, quæ veluti forma efficere valeret miracula, non ut purum inſtrumentum, ſed ut cauſa verè efficiens, minus tamen principalis; inquit hanc virtutem, & gratiam miraculorum in Chriſto non eſſe puram, & nudam electionem, qua Deus elegit Chriſtum, atque Sanctos, ut per eos faciat miracula. Neque eſſe phyſicam qualitatem aliquam, aut virtutem divinitus infuſam inhærentem in anima Chriſti; Neque eſſe ipſam virtutem agentis Dei intentionaliter receptam in anima Chriſti; Sed eſſe quandam qualitatem, & habilitatem moralem, quæ conſiſtit in poteſtate ei à Domino collata ad efficienda miracula, ideſt, non eſt aliquid reale phyſicum ſuperadditum Chriſto, vel ejus gratiæ ſive unionis, ſive habituali, ſed eſt duntaxat aliquid morale, ſcilicet, jus quoddam, & moralis quædam poteſtas accepta à Deo proveniens ex divina ordinatione, & deputatione; & licet ſit jus quoddam morale, tamen illius executio, & exercitium eſt quid phyſicum. Verùm ex hac doctrina directè ſequitur, potentiam Chriſti, ut Hominis, ad facienda miracula fuiſſe moralem, non verò phyſicam; nam talis poteſtas conſiſtit in facultate ſibi à Deo communicata, quam etiam hic Auctor fatetur eſſe moralem. Deindè cum actus ſecundus correſpondere debeat actui primo, & ſit ei proportionatus, planè ſi virtus faciendi miracula eſt moralis, etiam ipſa miraculorum factio, & executio moralis erit, & non phyſica. Denique quando contendatur efficientiam miraculorum phyſicam facere ad dignitatem humanitatis Chriſti, jam diximus *num.* 185. neque hanc eſſe totaliter ipſi denegandam, & in ordine ad quoſcunque effectus ſupernaturales, ſed tantùm in ordine ad illos, ad quos nullam prorſus habet in ſe virtutem ſaltem inchoatam, alioquin daretur actio ſine virtute agendi; Mitto, quod ponere Chriſti humanitatem cauſam principalem miraculorum eſt contra communem ſenſum etiam Auctorum oppoſitæ ſententiæ, qui eam ponunt tantùm inſtrumentalem.

204 Quintò arguit Vulpes probans unionem hypoſtaticam eſſe cauſam phyſicam ſaltem inſtrumentalem miraculorum Chriſti, quia effectus univocus eſt ſignum demonſtrativum naturæ ſuæ propriæ cauſæ; at opera miraculoſa Chriſti univocè demonſtrant Chriſtum eſſe Hominem hypoſtaticè Verbo unitum ex Joann. 10. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, teſtimonium perhibent de me*; ergo unio eſt cauſa phyſica ſaltem inſtrumentalis miraculorum Chriſti.

Reſpondeo cum P. Belluto negando minorem; inepte ſiquidem dicuntur miracula effectus univoci hypoſtaticę unionis, nam effectus univocus eſt ejuſdem ſpeciei cum ſua cauſa, nullum autem miraculum, nec ullum ens creatum eſt ejuſdem naturæ cum hypoſtatica unione; Nec etiam ullum Chriſti miraculum, imò nec omnia ſimul ſumpta erant ſufficientia ſigna ad demonſtrandam Chriſti divinitatem, quia adiuvante Deo poteſt Homo illa edere miracula, ac etiam majora, ut habetur Ioan. 14. *Qui credit in me, opera quę ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*; attamen facta in confirmationem illius veritatis, qua ſe Filium Dei proprium aſſerebat, evidens inditum fuerunt ſuæ Divinitatis, quia nequit Deus in teſtimonium falſitatis facere miracula; quod manifeſte deducitur ex aliis ejus verbis: *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, & opera non feciſſem, peccatum non haberent*, quibus verbis oſtendit, quod non opera pręcisè, ſed etiam atteſtatio, & prædicatio propriæ divinitatis ſimul Judæos reddiderunt inexcuſabiles. Deindè quando etiam concederetur opera præcisè ſumpta ſufficientia fuiſſe ad demonſtrandum Chriſtum fuiſſe Hominem Verbo unitum; adhuc non bene hinc deduceretur unionem phyſicam fuiſſe cauſam talium miraculorum, ſed tantùm Chriſtum non fuiſſe purum Hominem, ſed Hominem Deum, itaquod ut Deus phyſicè cauſaret miracula, ut Homo autem moraliter tantùm, talem enim poteſtatem phyſicam Divinitatis, ac moralem Humanitatis fatebantur turbæ videntes miracula Chriſti, & infirmi ab eo ſanati, ut fecit cœcus ille Ioann. 9. qui in ſignum Divinitatis Chriſti, quòd ab ipſo fuerit illuminatus, procidens adoravit eum, ut Filium Dei. De hac quæſtione videndus eſt P. Brancatus noſter *lib. 4. ſentent. diſp. 7. art. 2.* ubi eam pro dignitate tractat, & erudite demonſtrat opinionem Vulpes in hac materia eſſe prorſus chimericam, & à veritate Scotique principiis penitus alienam, & plura eiuſdem Auctoris noviter dicta impugnat, quæ meritò nænias vocat, quia omni prorſus carent fundamento, ac veriſimilitudine.

QUÆSTIO NONA.

Qua adoratio debeatur Chriſto, ſecundum quod Homo.

205 ADoratio ex Damaſceno oratione prima de Imaginibus *eſt ſubmiſſionis, & honoris nota*, hoc eſt, ſignificat actum, quo quis alteri ſe ſubmittit in recognitionem eius excellentiæ, undè obiectum formale adorationis ſemper eſt excellentia in aliqua perſona, quæ adoratur, materiale verò eſt ipſa perſona, in qua illa excellentia reperitur; ex quo deducitur adorationem diſtingui ab honore, ſicut ſpeciem à genere, nam honor eſt ſuperior, & univerſalior, qua ratione inquit Auguſt. contra ſerm. Arrian. capit. 23. *Honorat omnis qui adorat, non autem adorat omnis, qui honorat*, honor enim eſt teſtificatio virtutis alterius, at adoratio ultra hoc addit animi ſubmiſſionem in recognitionem excellentię alterius, tanquam ſibi ſuperioris. Hinc iuxtà varia excellentiarum genera, etiam varia adorationum genera diſtinguuntur, & quia alia eſt excellentia increata, alia creata, ideò alia eſt adoratio debita Deo, alia creaturis; Prima dicitur Latria, quę ſolùm Deum reſpicit, ſicut ſolus Deus ſummam, & ſupremam habet excellentiam; Altera verò conſtituit genus adorationis innominatum, quod poteſt appellari Dulia, & ſubdividitur; nam vel iſta excellentia peculiari, & ſingulari modo eſt in aliqua rationali creatura, & hæc adoratio dicitur Hyperdulia; ſi verò non reperitur peculiari modo, dicitur Dulia, & nomen generis ſibi retinet; hujus adorationis cultus debetur univerſaliter omnibus Sanctis, ille verò ſpecialiter debetur Beatę Virgini, & Chriſti humanitati ratione ſanctitatis dumtaxat create, ut infrà dicemus.

206 His tanquam certis principiis pręiactis duplex in hac materia viget controverſia; Prima eſt, an Chriſtus ſecundum quod Homo, ſeù ſecundum humanitatem adorandus ſicut cultus Latrię, vel ſolius Hyperdulię, neque difficultas eſt, an talis adoratio debeatur Chriſto, ut Homini, per communicationem Idiomatum, nam in hoc ſenſu concedunt omnes cultum Latrię Chriſto, ut Homini, convenire, non minus quàm eidem per eandem Idiomatum communicationem convenit eſſe Deum, ſed difficultas eſt, an talis cultus ei conveniat intrinſecè, & per ſe. In qua controverſia negarunt aliqui Chriſtum, ut Hominem, adorandum eſſe adoratione Latrię, ſed tantùm Hyperdulię, ita Magiſter 3. *diſt. 9. c.* 1. Henricus, Rubion, Bacconius, & alii antiquiores; Oppoſita ſententia communis in omni Schola Thomiſtarum, Scotiſtarum, ac Neutralium, docet Chriſtum, ut Hominem, adorandum eſſe eadem adoratione Latrię, qua adoratur Verbum ipſum, itaut humanitas ſit terminus dumtaxat, & obiectum talis adorationis, non autem motivum, & cauſa, ſive ratio adorandi, ità Scotus ex profeſsò *4. diſp. 9. qu. unic. art. 3.* & alii paſſim, ſub aliis verbis dicentes, Chriſtum inquantum Hominem, ſpecificativè eſſe adorandum illa ſuprema adoratione, qua adoratur Verbum, quę eſt Latrię, non tamen reduplicativè, quaſi humanitas ſit cauſa, & ratio formalis adorationis.

207 Altera verò Controverſia, & quidem maior, eſt: quę adoratio debeatur Chriſto ſecundum, quod Homo, ſumendo ly *ſecundum quod* reduplicativè, ut notat cauſam, & rationem formalem adorationis, itaut intuitu naturę humanæ fiat adoratio; & ſenſus eſt, an humanitas Chriſti pręciſa unione ad Verbum, & cum aliis donis ſupernaturalibus concepta, ſit adoranda Latria, vel ſaltem Hyperdulia. Prima ſententia docet, quod quamvis Chriſti humanitas poſſit, per ſe, non comprehendendo Verbum, adorari adoratione Hyperdulię, talis tamen adoratio cum hac metaphyſica pręciſione non eſt decens, nec licita; ità Recentiores non pauci, Valentia, Raguſa, Lugo, Paſqualigus, Orlandus, Caſpenſis, & alii ſecuti Vaſquez *diſp. 96.* ubi mordicus contendit nullam aliam adorationem poſſe deferri humanitati Chriſti ob ullam pro-

priam

priam excellentiam præter perfectam Latriam jam dictam illi communem cum Verbo; & aliam inferiorem adorationem negat non ſolùm eſſe decentem, ſed etiam poſſibilem, ſive ob excellentiam unionis hypoſtaticæ, ſive gratiæ, & gloriæ. Alia verò ſententia docet talem adorationem, & eſſe poſſibilem, & decentem; ità alii Recentiores paſſim, Tannerus, Meracius, Moraudus, Amicus, Arriaga, Averſa, Granadus, ſecuti Suarez 3. *part. diſp. 35. ſect. 2. & 3.* ubi eam pugnaciſſimè defendit, quæ fuit ſententia D. Thomæ 3. *part. quæſt. 25. art. 1. & 2.* ubi Caietan. Medin. & alii ejus expoſitores, D. Bonavent. 3. *diſt. 9. art. 1. quæſt. 1.* & Scoti ibidem *quæſt. unic. art. 3.* ubi ejus expoſitores veteres, & Recentiores Faber, Aretinus, Gallus, Bellutus *diſp. 15. quæſt. 2.* & alii.

ARTICULUS PRIMUS.

Reſolutio Quæſtionis quoad primam partem.

207 DIcendum Primò Chriſtum, ut Hominem, adorandum eſſe eadem adoratione Latriæ, qua adoratur Verbum ipſum, non quidem ut motivum, & cauſam adorationis, ſed ut terminum duntaxat, & obiectum eius. Hæc concluſio eſt deciſivà quęſtionis, quoad primam partem, & eſt communis, ut dixi, Thomiſtarum, & Scotiſtarum, & Recentiorum, & expreſsè habetur in Conciliis Alexandr. & Epheſin. 1. in *Epiſt.* 10. Cyrilli, ubi definitur una adoratione, ſcilicet, Latriæ adorari Chriſtum ſimul cum Divinitate, & Humanitate: *Unus, idemque Chriſtus Ieſus, Unigenituſque Dei Filius animo concipitur; qui una adoratione cum propria carne adoratur*. Et 5. Synod. collat. 8. can. 9. *Si quis non una adoratione Verbum Incarnatum cum propria ipſius carne adorat, anathema ſit*. Idem ex Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. colligitur, ubi declarat Euchariſtiæ Sacramentum vera Latria adorari debere ob præſentiam Divinitatis, ſupponens Chriſti humanitatem, prout in ſe exiſtentem, tali adoratione coli debere ratione Divinitatis, cui eſt conjuncta.

209 Deindè probari ſolet ex Patribus; ſic enim loquuntur Athanaſ. Epiſtol. ad Adelphium Fratrem, Chriſoſtom. homil. 3. in Epiſtol. ad Hebræos, Auguſt. ſermon. 58. de Verbis Domini in fine, Leo Papa ſerm. 1. de Aſcenſione, Ambroſ. *lib.* 2. de Spiritu Sancto *cap. 12. & lib. 3. cap.* 19 & Damaſcen. *lib.* 3. de Fide *c.* 8. cujus teſtimonium affert Scotus: *Chriſtus Deus perfectus, & Homo perfectus, quem adoramus cum Patre, & Spiritu Sancto una adoratione cum incontaminabilis carne ejus*, ubi Doctor advertit, *cum*, accipi aſſociativè, non autem copulativè, ideſt, adoramus Verbum cum carne, ſcilicet, Verbum habens carnem unitam, non autem itaut, ſit ſenſus, adoramus Verbum, & adoramus carnem, quaſi ſit propoſitio copulativa, nam ſic daretur intelligi carnem, vel humanitatem eſſe quoque ex ſe obiectum formale, & motivum adorationis, ſicut Verbum, quod eſt falſum; quamvis enim à termino adorationis excludi non debeat, ipſa tamen non eſt ratio adorandi; Hoc idem probat tribus exemplis, quibus paſſim utuntur Patres ad hanc veritatem perſuadendam. Primum eſt de ligno ignito, ex eodem Damaſceno; ſicut enim quando timemus, & refugimus lignum ignitum, utrumque refugimus, ſcilicet, tam lignum, quàm ignem, & utrumque fugam, ac timorem terminat, quamvis ſolus ignis ſit ratio formalis fugæ, & timoris; ità cùm adoramus Chriſtum Deum hominem, totum unitum eſt terminus adorationis, licet humanitas non ſit ratio formalis illius. Aliud exemplum eſt ex Epiphanio de Rege, & Purpura, dum enim adoramus Regem inductum, & ſedentem, ſimul eodem actu coadoramus purpuram, & thronum regium, quamvis purpura non ſit ratio adorandi; ità dùm adoramus Chriſtum cultu Latriæ, quamvis ratio, & motivum talis adorationis ſit ſumma, & infinita excellentia perſonæ, & naturæ Divinæ; tamen quia in ea perſona humanitas eſt divinitati conjuncta, ideò idem adorationis actus ſimul, & conjunctim ad ipſam quoque carnem, & humanitatem Chriſti terminatur dignificatam, & ſublimatam per conjunctionem ad Verbum.

210 Tertium exemplum, & adhuc magis proportionatum eſt de toto, & partibus; de anima, & corpore; ſicut enim cum adoramus Sanctum, non ſolùm adoratur anima, in qua eſt excellentia gratiæ, & virtutis, ſed etiam corpus, & caro, in qua non eſt talis excellentia, adoratur ſimul eodem cultu, quia ſubſtantialiter anima, & corpus ſunt unum, & idem totum, & ſuppoſitum, licet ratio formalis talis adorationis, ſit ſola animæ excellentia; ita non tantùm Verbum, & divinitas Chriſti, in qua eſt formaliter ratio adorationis, ſcilicet, excellentia increata, ſed etiam ejus humanitas, quæ ſubſtantialiter ſunt unita ſuppoſito, adorari debent eadem adoratione; ſimiliter ſi hominem revereor propter ſapientiam, & virtutes, totum revereor, ſcilicet corpus, & animam, non verò animam ſolum, excludendo corpus à termino reverentiæ; ſic pariter cùm totum Hominem adoro, non honoro præcisè caput excludendo alias partes ab illa adoratione; idem ergo pariter dicendum de Chriſto Deo, & Homine; & ratio eſt, quia minimè opus eſt, ut omne id, quod eſt terminus adorationis, ſit etiam ratio formalis eiuſdem: ſed ſufficit, ut ſit cum ratione formali aliquo pacto unitum, ut patet in exemplis adductis, quorum ultimum de toto, & partibus, corpore, & anima dixi eſſe magis ad rem, quia purpura tantùm accidentaliter unitur perſonæ Regis, & ideò dici poteſt ſolùm per accidens adorari; at verò humanitas per ſe unitur Verbo, Chriſtus enim verè eſt unus per ſe ex divinitate, & humanitate compoſitus juxta illud: *ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*, & ideò illa perfecta Latria, qua Chriſtus colitur per ſe, coadoratur humanitas eius.

211 Tandem ex his exemplis elici poteſt ratio à priori pro noſtra concluſione probanda, quia ut Chriſti humanitas cultu Latriæ intrinſecè, & per ſe adoretur, neceſſe non eſt, ut ipſa ſit ratio, & motivum adorationis, ſed ſufficit, ut ſit terminus, & obiectum, ad quod tendat actus ipſe adorationis ex intentione adorantis; Sed Chriſtum adorans non ſolùm intendit attingere ſuppoſitum, vel naturam divinam ipſo adorationis actu, ſed naturam quoque humanam, utpotè factam Verbi propriam per ſubſtantialem unionem; ergo non ſolùm intrinſecè, & per ſe tanquam obiectum *Quod* adoratur in Chriſto Deus, ſed etiam homo, ſeù humanitas ſubſtantialiter Deo unita. Maior probatur, quia in adoratione duo ſunt diſtinguenda, obiectum ſeù terminus adorationis, & motivum, ſeù cauſa illius, ſicut in quolibet actu diſtinguitur id, quod eſt terminus actus, & id, quod eſt cauſa, & motivum ejuſdem, ut patet in actu fidei; quod enim terminat eius aſſenſum eſt res ipſa revelata; quod autem eſt motivum, & cauſa credendi, eſt auctoritas, vel teſtimonium revelantis, ſicut ergo res revelata dicitur verè terminare actum fidei, etiamſi non ſit ratio motiva illius aſſenſus, ſic in propoſito poterit humanitas Chriſti verè terminare actum adorationis, etiamſi non ſit ratio eius motiva. Minor verò deducitur ex Patribus, & Conciliis citatis, quæ expreſsè prohibent nos in adoratione condividere Verbum ab humanitate, ſed uno, & eodem actu adorationis in utrumque tendere; & volunt Chriſti humanitatem eadem prorſus Latria, qua Verbum adorari, nam licet ipſa humanitas non ſit ratio, propter quam adoratur, eſt tamen id, quod coadoratur in Chriſto.

212 Quod autem humanitas Chriſti conſiderata cum omnibus donis ſupernaturalibus, etiam cum unione hypoſtatica, nequeat eſſe in Chriſto ratio formalis adorandi adoratione Latriæ; & eſt altera pars concluſionis noſtræ, quod alii ſub aliis dicebant verbis, Chriſtum, ut hominem, reduplicativè, non eſſe Latria adorandum; probat Doctor *loc. cit.* quia quantumcunque natura humana ſit unita Verbo, ipſa eſt creatura, nec creaturæ limites excedit; ergo nec cultus Chriſto debitus ſecundum iſtam naturam debet excedere cultum creaturæ debitum, cuiuſmodi eſt Latria; tum quia ut arguit ab initio quæſtionis, Latria eſt cultus debitus ratione ſummi dominii, at Chriſtus ſecundum naturam humanam non eſt ſummus Dominus; Et hoc idem probant quamplures Adverſariorum rationes, præſertim quas adducit Rubio 3. *diſt. 9. q. 2. art. 2.* probant enim ſolùm humanitatem Chriſti non eſſe rationem adorandi, vel obiectum motivum adorationis, non tamen illam excludunt a termino adorationis; Quod autem in contrarium nititur reſpondere Vulpes *diſp. 38. art. 3. &* 4. ſolidè refutatur à P. Belluto *loc. cit.*

Dices, ſi ſolùm ſpecificativè adorari debet humanitas Chriſti adoratione Latriæ, & non reduplicativè, hoc eſt per meram concomitantiam; & conjunctionem eius cum divinitate, iam non per ſe adoraretur, ſed per accidens, & ad alterius adorationem; at hoc eſt falſum, quia tunc non faceret unum per ſe cum Verbo, qua de cauſa communiter reiicitur modus loquendi Durandi 3. *diſt. 9. quæſt.* 2. ubi ait totum quidem Chriſtum adorari per ſe cultu Latriæ, humanitatem verò per accidens; ſequela maioris probatur, quia illud adoratur per accidens, quod adoratur cum eo, quod propriè eſt motivum, & cauſa adorationis; ergo ſi humanitas Chriſti ſolùm adoratur, quia eſt conjuncta Verbo, & divinitati, quæ eſt ratio formalis adorationis, ſequitur adorari tantùm per accidens adoratione Latriæ.

213 Reſpondeo, quod ſi adorari per accidens excludat tantùm obiectum formale adorationis; concedendum eſt humanitatem adorari per accidens in hoc ſenſu, neque hinc ſequitur, quod faceret unum per accidens cum Verbo, quoniam corpus per accidens movetur ad motum totius, & tamen conſtituit unum per ſe. Si verò ly per accidens excludat etiam obiectum materiale, & terminativum adorationis, in hoc ſenſu dicendum eſt humanitatem Chriſti adorari per ſe cultu Latriæ, & non per accidens, non quidem primariò, ſed ſecundariò, nam primariò, etiam ut obiectum materiale, adoratur perſona ipſa Verbi, ſecundariò verò ipſius humanitas, quia nimirum ſemper adoratio primariò tendit in illam partem, quæ importat excel-

len-

lentiam inducentem, & obligantem ad talem cultum. Dices, ſi Chriſti humanitas adoraretur per ſe, etiam ſeparata à Verbo deberet adorari eodem cultu Latriæ, quod eſt falſum, quia tunc eſſet pura creatura, cui indebitus eſt talis cultus. Negatur conſequentia quia adorari per ſe in hoc ſenſu non tantum ſignificat adorari, ut motivum, & obiectum formale, ſed etiam ut terminum, & obiectum materiale, aliud enim eſt adorari per ſe, aliud propter ſe; hoc convenit tantùm obiecto formali, illud verò etiã objecto materiali competere poteſt. Quia tamen modus ille loquendi, quod humanitas Chriſti cultu Latriæ adoratur per ſe, vel per accidens ambiguitatem inducere poteſt, nam ſi dicatur adorari per accidens, poteſt denotare unionem eius cum Verbo factam eſſe per accidens; ſi dicatur adorari per ſe, poteſt denotare, quod ſit objectum formale, & motivum adorationis, quorum utrumque eſt falſum; Ideò tutius erit, & cautius ab illo loquendi modo abſtinere, & alio convenientiori ad rem hanc explicandam uti cum diſcrimine, ſcilicet, humanitatis è divinitate, dicendo humanitatem adorari eodem cultu Latriæ ſecundariò, ſivè per conjunctionem, & participationem vel adorari conſequenter, ſivè ex conſequenti, ut loquitur D. Bonaventura *diſt. 9 art. 1. q. 1. ad 5.* vel adorari concomitanter, ſive per concomitantiam; vel denique unico verbo coadorari, ſicut in phyſicis dicitur comproduci, & concreari illud, quod non principaliter, ſed concomitanter ſe habet in termino totali ad quem tendit operatio.

214 Et planè abſque ullo prorſus fundamento Faber *diſp. 22. c. 3.* hunc loquendi modum inficiatur, veluti damnatum in Concil. Epheſ. *cap. 8.* cum inquit *ſi quis audiet dicere aſſumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, quaſi alterum alteri, & non potius una adoratione honorificat Emanuelem ſecundum quod caro factum eſt, anathema ſit.* Non enim in noſtro ſenſu modum illum loquendi damnat Concilium, ſed in ſenſu Neſtorii, qui ut aſſerebatur humanitatem Chriſti eſſe in ſe perſonam, & tantum per gratiam eſſe Deo unitam; ita volebat eſſe Latria adorandam, & alio diſtincto actu, ut ex pluribus, & expreſſis eiuſdem Concilii verbis colligitur, ſed præſertim ex illis *quaſi alterum alteri* negans Chriſtum Deum eſſe alia adoratione adorabilem a Chriſto homine, tanquam alterum, & alterum; at ex noſtro loquendi modo de coadoratione humanitatis cum Verbo non ſequitur dualitas ſuppoſitorum in Chriſto, ut Neſtorius aſſerebat, immò hoc modo loquendi uſus eſt Epiphanius ipſe in Anchorato circa medium, & hic eſt uſitatior loquendi modus apud Theologos, & à Scoto ipſo approbatur *loc. cit.* qui explicans dictum Damaſceni *una adoratione adoramus Verbum cum carne* ait ly *cum* ſumi debere aſſociativè, non copulativè.

215 Contrà ſtabilitam aſſertionem, eſtò communiter concenſam, urgent nonnullæ difficultates, quas tangit, & ſolvit Doctor *loc. cit.* Primò itaque urgetur, quod licet humanitas ſit unita Verbo, nunquam tamen eſt æqualis excellentiæ, & dignitatis cum natura divina, unio namque humanitatis ad Verbum aliquid creatum eſt; ergo neque æquali adoratione colenda eſt. Confirmatur, quia nequeunt illi actus adorationis eſſe eiuſdem rationis, quorum adoranda objecta ſunt diverſæ dignitatis, & excellentiæ, ſiquidem actus ſpecificantur ab objectis; Sed Deitas, & humanitas etiam unita Verbo ſunt objecta diverſæ dignitatis, & excellentiæ, cùm una habeat excellentiam increatam, altera creatam; ergo nequeunt actus adorationis circà Deitatem, & humanitatem etiam Verbo conjunctam eſſe eiuſdem rationis, & ſpeciei. Neque valet communis reſponſio, quæ eſt Scoti *loc. cit.*, & hæc, & ſimilia argumenta probare ſolùm humanitatem Chriſti, non eſſe rationem formalem, & objectum motivum adorationis Latriæ, non tamen quod non ſit objectum terminativum, & ſecundarium, & ratione conjunctionis ejus cum Verbo, & divinitate. Non valet, inquam, quia ſi voluntas vult talem Latriæ cultum humanitati ratione excellentiæ perſonalitatis, in qua ſubſiſtit, ergo adoratio, qua adoratur humanitas, debet appellari Latria relativa, & inferior illa, qua attingit perſonalitatem, ſicut appellatur illa, quæ terminatur ad imaginem Chriſti, eo quod non terminatur ad imaginem propter excellentiam ipſius imaginis, ſed propter excellentiam Chriſti, quam repræſentat.

216 Reſpondeo conceſſo antecedente negando conſequentiam, quia de ratione Latriæ ſolùm eſt, ut perſona adorata ſit verus Deus, non verò opus eſt, ut quicquid coadoratur ſit etiam Deus, ſed ſatis eſt, ſi perſonæ Dei ſit conjunctum; & licet hæc ſumma adoratio ad naturam aſſumptam etiam aliquo modo pertineat, non tamen æquè principaliter, ut dictum eſt, quia ad perſonam adoratam pertinet per ſe primò, & principaliter, ad naturam verò aſſumptam ſecundariò, & concomitanter.

Ad Confirmationem conceditur maior de diverſitate obiecti formalis, negatur verò de diverſitate obiecti materialis, terminativi tantum; excellentia verò humanitatis etiam ut unitæ Deo, non eſt obiectum formale, & motivum, ſed tantùm materiale, & terminativum adorationis Latriæ; & ſola excellentia increata perſonæ divinæ eſt obiectum formale, & motivum, ob quod Latriæ actus ad humanitatem quoque terminatur. Ad impugnationem verò huius communis reſponſionis, negatur conſequentia, & paritas, ſiquidem Chriſti humanitas adoratur latria abſoluta, quia non adoratur propter excel. in alio exiſtentem ſed exiſtentem in ipſo ſuppoſito, in quo ipſa ſubſiſtit, tanquam pars ſubſtantialis illius; non verò adoratur propter excellentiam exiſtentem in alio, ſicut imago Chriſti, quæ adoratur propter excellentiam in Chriſto exiſtentem, quem repræſentat; & ideò adoratur Latria relativa; Quarè diſcrimen in hoc conſiſtit, quod imago adoratur ob excellentiam non exiſtentem in ſe, ſed in prototypo, cuius ipſa non eſt pars, nec illi ſubſtantialiter unita, nec faciens unum per ſe cum illo; ſed ſolùm extrinſecè, & repræſentativè ad illud ſe habet, at humanitas Chriſti adoratur ob excellentiam infinitam ipſius Chriſti, cuius eſt pars, & ſubſtantialis natura; adoratur ob excellentiam infinitam divini Verbi, cui eſt ſubſtantialiter unita, & cum quo facit unum per ſe, & ſic intrinſecè, ac entitativè cum illo ſe habens, ut declarat Averſo *loc. cit.* & Scotus ipſe ſignificat.

217 Secundò arguitur, quando Chriſtus amatur ſuper omnia, vel rogatur, talis amor vel rogatio non terminatur ad humanitatem, quamvis Verbo unitam; ergo idem dicendum de adoratione Latriæ; aſſumptum probatur, quia amor ſuper omnia reſpicit bonitatem infinitam, & oratio ſummam poteſtatem, ſed humanitas etiam ut Verbo unita, non habet bonitatem infinitam, aut ſummam poteſtatem; conſequentiam patet à pari, quia etiam Latria eſt cultus debitus ſoli ſummo domino ratione ſummi dominii, & ſummæ poteſtatis; Conf. quia Chriſtus ſecundum naturam humanam adoravit, quia oravit, & Io. 4. Samaritana alloquens dixit. *Nos adoramus, quod ſcimus;* ergò ſecundum naturam illam habuit ſuperiorem; autem ſuperiorem habet, nequit illi eſſe debita Latria quæ ſolli ſupremo Domino debetur.

Reſpondet Doctor in fine quæſtionis dupliciter, primò negat paritatem, quia amor, cum ſit actus interior vitalis, facilè præſcindit, ideòque ſolum terminari poteſt ad id, in quo ſumma bonitas reperitur; & eadem ratione oratio ad id, in quo eſt ſumma poteſtas, at adoratio cùm ſit actus exteriori, non ità præſcindit, ſed terminatur ad omne id, quod eſt ſummæ excellentiæ unitum, undè adoratur purpura cùm Rege, non tamen amatur aut rogatur cum Rege; & veſtis Chriſti adoratur Latria, non tamen charitate amatur, qua Deum diligimus cuius ratio eſt inquit Doctor, quia adoratio confusè exhibetur toti, dilectio autem reſpicit diſtinctè naturam in termino adorationis: quæ quidem reſponſio plauſibilis eſt apud Recentiores, & communiter recepta. Deindè dicit, quod ſi dilectio tendere poteſt æquè confusè in obiectum, ſicut adoratio, poteſt concedi, quod Chriſtus habens naturam humanam ſit ſummè diligendus licet natura humana non ſit ratio ſummæ diligibilitatis, neque etiam unio naturæ humanæ ad Verbum qualitercunque ſit; ſicut Trinitatem adoramus una adoratione, & diligimus una dilectione non excludendo perſonales proprietates ab eſſentia, quæ tamen proprietates non ſunt formaliter infinitæ, ſed tantùm identicè ex dictis *lib. 1. ſentent.* Quæ etiam reſponſio valdè probabilis eſt, quia, ut notat Bellut. loco citato, falſum eſt abſolutè loquendo dilectionem neceſſariò terminari ſolùm ad obiectum motivum amoris, & ad rationem formalem amandi, & nullo pacto ad aliud coniunctum: amans enim Petrum v. g. ob inſignem literaturam, nec ſolam ſapientiam amat, quæ eſt ratio formalis obiectiva amoris, nec ſolam animam, aut caput, in quibus deſidet ſapientia, ſed totum Petrum ſecundum animam, & cæteras corporis partes, ergò nec univerſale eſt, nec neceſſarium diſcrimen aſſignatum inter actum amoris, & adorationis, uterque enim præſcindere poteſt, & pariter uterque ad totum obiectum confusè terminari, quamvis non ſecundum omnem rationem. Nec pariter urget aſſignata diſparitas de purpura Regis, quia purpura non eſt per ſe unita Regi, ſicut humanitas Filio, vel Verbo; neque purpura eſt capax adorationis abſolutæ, ſicuti eſt humanitas; eligatur reſponſio, quæ magis arridet, quia utraque probabilis eſt in via Doctoris.

218 Ad Confirmationem reſpondet Doctor Chriſtum oraſſe, & adoraſſe ſecundum naturam humanam ſecundum ſe conſideratam, non autem prout Verbo unitam; & ſic pariter habenti ſuperiorem non poteſt eſſe debita latria ſecundum ſe conſiderato, benè tamen, ut unito hypoſtaticè Deo; & ità inquit rem Auguſtinum expreſſiſſe in littera, quia *ſi natura illa ſeparetur à Verbo*, inquit ille, *illi homini nunquam ſervio*, hæc, ſcilicet, ſervitute Latriæ, & adhuc clarius expreſſit Concilium Epheſinum *part 3. c. 17.* dicens. *Adoravit nobiſcum, adeſt etiam adorandus, flectitur enim ipſi omne genu, hoc autem ſecundum aliud, & aliud: adorat enim quia naturam aſſumpsit qua debeat adorare, adoratur autem porro idem quaſi maior adorante natura, eo quod intelligitur Deus* quarè idem Chriſtus, ut homo, adorat ſeipſum, ut Deum.

Tertiò arguitur, quia ſacrificium non offertur Chriſto, ut
homini

homini, ſed ut Deo; ergo pariter latria non terminatur ad Chriſtum, ut hominem, ſed ſolùm ut Deum; Conſequentia patet, quia ſacrificium eſt una ſpecies Latriæ; aſſumptum probatur, quia tale ſacrificium eſt Miſſa, cujus principalis Miniſter eſt Chriſtus, ut homo, & hoſtia eſt ipſemet Chriſtus; ut miniſter, & hoſtia debent realiter ab eo diſtingui, cui offertur ſacrificium; ergo &c.

Reſpondeo de hoc puncto inter ſe contendere Suarez, & Vaſquez, hic enim *diſp. 96. cap. 8.* negat poſſe Chriſto, ut homini ſacrificium offerri ob rationem allatam; ille vero *diſp. 53. ſect. 2.* affirmat, quia cùm humanitas Chriſti faciat unum per ſe cum perſona Verbi, eo ipſo quod ſacrificium terminatur ad Verbum, terminatur ad quicquid componit unum ſubſtantiale cum perſona Verbi, & conſequenter ad humanitatem, quæ componit unum ſubſtantiale cum Verbo, quamvis ratio formalis terminandi ſacrificium ſit ſola divinitas; Sed melius diſtinguunt alii, quod ſacrificium poteſt ſumi, vel largè, quo pactò ſignificat quodlibet ſignum Religionis, & cultus, & quemlibet ritum ſacrum, ut luminum accenſio, incenſatiò, &c. vel poteſt ſumi in rigore, quo ſenſu de factò, & in communi modo loquendi Miſſam ſignificat; primo modo ſumendo ſacrificium negatur aſſumptum, nam ſacrificium in eo ſenſu offerri poteſt Chriſto, ut homini; at in ſecundo ſenſu, conceſſo antecedente ob rationem aſſignatam, negatur conſequentia, quia arguitur ab inferiori loquendo de ſacrificio Miſſæ, prout modò inſtitutum eſt; ſi enim alius modus ſacrificii inſtitutus fuiſſet, ſicut olim in veteri teſtamento, quo non ipſe Chriſtus eſſet victima, & Sacerdos, dici potuiſſet tale ſacrificium offerri Chriſto, non ſolùm ut Deo, ſed etiam ut homini, ut de cultu Latriæ iam dictum eſt.

220 Quartò tandem arguitur, quia Angelus antè Incarnationem adorabat Verbum; quæritur modò, an poſt Incarnationem poſſit per eundem actum adorare Latria Chriſtum, nec ne, ſi poſſet; ergò per illum actum non adoratur humanitas, quia idem actus non poteſt nunc habere aliud obiectum, quod anteà non habebat; ſi verò non poſſet, ergò neceſſaria eſſet alia adoratio, atque ità non adoratur eadem adoratione humanitas, & Verbum.

Reſpondetur communiter eſſe diverſum actum, & per conſequens diverſam numero adoratione, non tamen inferiorem, ſed ejuſdem rationis, & ſpeciei cum priori, & ſolo numero diverſam, quia prior actus terminabatur ad ſolam Deitatem, poſterior verò terminatur ad Deum ſimul, & hominem; Sed etiam defendi poteſt eandem quoque numero adorationem poſt Incarnationem terminari ad Verbum Incarnatum, eo modo quo à Scotiſtis defendi ſolet, de potentia Dei abſoluta, eandem numero viſionem poſſe ad ſolam eſſentiam terminari, non ad perſonas, & deindè eandem ad illa ſimul cum Scoto *3. diſt. 14. quæſt. 1.* ratio eſt, quia non variatur formale obiectum adorationis, ſed materiale tantùm, concomitans, & ſecundarium, cujus variatio non infert variationem actus nec ſpecificam, nec numericam. Unde Angelus perſeverans in Verbi adoratione poſt Incarnationem, adorans Chriſtum concipit Deum ſimul, & hominem, eique ſic concepto, ſe ſubmittit, & ſubmittere ſe intendit, ob eandem tamen illam excellentiam, quæ erat in Verbo per ſe ſpectato; ſed communicatam modò, & conjunctam per hypoſtaticam unionem humanitati; & ſic modò ſimul cum Verbo coadoratur quoque humanitas, ubi antè Incarnationem adorabatur Verbum ſimpliciter abſque tali conſortio, quod planè fieri poteſt abſque ulla variatione entitativa, ac numerica actus; per ſolam additionem novi reſpectus attingentiæ ad humanitatem, ut dicebamus *lib. 1. ſentent. diſp. 7.* de eadem numero viſione beata prius ad eſſentiam præciſè terminatam, & poſteà etiam ad perſonas.

ARTICULUS SECUNDUS.

Reſolutio Quæſtionis quo ad alteram partem.

221 Dicendum ſecundò; verè poſſe abſque indecentia adorari per ſe humanitatem Chriſti ob propriam excellentiam, tùm aliorum donorum ſupernaturalium præter unionem hypoſtaticam, tùm etiam ipſius unionis hypoſtaticæ, quodam inferiori cultu à perfecta Latria diſtincto, primariò, & principaliter attingentem ipſam humanitatem, tanquam obiectum formale, & motivum talis adorationis, quæ propter ſublimem gradum talis excellentiæ in humanitate Chriſti vocabitur Hyperdulia. Hæc aſſertio eſt deciſiva quæſtionis quoad alteram partem, quam ex profeſsò docet Scotus *loc. cit. §. quantum ad iſtum articulum*, & ſequuntur Auctores omnes citati *num:* 207. eſtque communior inter Recentiores, aſſerentes contrà Vaſquez, & alios hanc humanitatis adorationem nedùm eſſe phyſicè poſſibilem; ſed etiam moraliter, hoc eſt, licitam, & honeſtam.

222 Primò itaque probatur, quod ſit phyſicè poſſibilis, quia non implicat Chriſti humanitatem ſine Verbo, & abſque unione ad ipſum cum ſolis cæteris donis ſupernaturalibus concipi; ergo & adorari; conſequentia probatur, quia actus adorationis interior, & exterior item ab interiori regula poteſt ferri in obiectum eo penitus modo, & cum ea præciſione, qua concipitur; probatur aſſumptum, quia humanitas Chriſti eſt entitas realiter diſtincta à gratia, gloria, & unione hypoſtatica, & multò magis à Verbo divino; rurſus hæc omnia quoque realiter inter ſe diſtinguuntur, quamvis de facto unita invicem reperiantur unitate ſuppoſiti; ergo ſi intellectus talem virtutem habet, ut abſtrahere, & præſcindere queat, quæ ſunt realiter eadem, & ſolùm formaliter, vel virtualiter diſtincta, conſiderando unum, alio non conſiderato, tantò magis conſiderare poterit humanitatem Chriſti quoad ſuam entitatem non intellectis donis ſupernaturalibus; vel humanitatem cum iſtis, ſcilicet, cum gratia, & gloria ſumma præſcindendo ab unione hypoſtatica; vel tandem humanitatem cum unione hypoſtatica, præſcindendo à ſubſiſtentia Verbi, non quidem in ratione termini unionis, ut ſic enim neceſſariò intelligi debet, quia unio eſt relatio ad Verbi ſubſiſtentiam terminata, ſine qua nequit intelligi; ſed præſcindendo ab illa ſubſiſtentia, tanquam ab obiecto primo, & in recto cognoſcibili, quo pacto intelligitur, quando concipitur Chriſtus ſecundum totum ſuum eſſe, ut rectè diſcurrit P. Bellutus *loc. cit.* ſi ergo ſemel conſideretur Chriſti humanitas, ut habet gratiam, & gloriam ſummam, vel etiam unionem hypoſtaticam, cùm ut ſic habeat excellentiam ſupernaturalem, poterit voluntas ſe illi humanitati ſubmittere, & velle aliquo exteriori ſigno hanc ſubmiſſionem proteſtari, quod eſt adorare; ergo non eſt phyſicè impoſſibile elicere adorationis actum ergà humanitatem, ut à perſona Verbi præciſam.

223 Reſpondet Vaſquez negando antecedens: inquit enim non poſſe humanitatem concipi ſine Verbo, eo ipſo quod ſcitur eſſe ſubſiſtentem in Verbo, nam Verbum ſemper menti occurrit. Sed hoc eſt, quod directè argumentum impugnat ex virtute præciſiva intellectus deductum, ob quam eſtò adorans ſit præſcius de unione humanitatis cum Verbo, poteſt tamen ſolam humanitatem cum ſuis donis ſupernaturalibus conſiderare, non conſiderato Verbo. Tùm quia eſtò Verbum ſemder menti occurreret, adhuc poteſt voluntas ex ſua libertate adorationem ad ſolam humanitatem dirigere, & nullo modo ad Verbum, eo modo quo de fruitione inquit Doctor *1. diſt. 1. qu. 2.* poſſe Beatum una perſona etiam ad aliam relativa abſque correlativa frui, imò & unam alia præciſa de facto adorare.

224 Secundò, quod hæc adoratio humanitatis in tali ſtatu præciſionis à Verbo dicenda ſit Hyperdulia probatur, quia omnis excellentia digna eſt honore, & reverentia; ſed humanitas Chriſti, ut præciſa à Verbo, & unione & cum cæteris donis ſupernaturalibus concepta, ſummam habet excellentiam, & hæc non eſt eadem, vel æqualis excellentia cum ea, quam dicit Deus, ſed longè minor, quia eſt excellentia creata; ergo non erit æqualis adoratione adorabilis cum Deo, ſed minori, quæ tamen excedat adorationem cujuſcunque creaturæ, ſicut humanitas Chriſti omnem aliam creaturam ſuperat dignitate; dicetur itaque Hyperdulia, ut loquitur Doctor, aut inferior quædam Latria ad differentiam perfectæ Latriæ, hæc enim eſt de ſolo nomine contentio, dumodo hæc adoratio dicatur abſoluta, & non reſpectiva, ſicut dicitur adoratio Imaginis, ſiquidem hæc excellentia verè eſt in ipſa humanitate.

225 Reſpondet Vaſquez, in adoratione, qua humanitas ſimul cum Verbo adoratur includi cultum huic excellentiæ debitum, quoniam cultus perfectior inferiorem continet; undè concedit verè deferri poſſe adorationem Chriſto, eiuſque humanitati ob excellentiam quoque gratiæ, & donorum, ſed vult eſſe unum adorationis actum, qui ſimul exerceatur ob excellentiam increatam Verbi, & creatam humanitatis, & ſic eſſe ſimul actum Latriæ, & Hyperduliæ. Sed Contrà, quia in intentione dividitur illa adoratio, ergo poterit etiam dividi in ipſo exercitio, & in ipſa re; diſtinctè nimirum, & ſucceſſivè conſiderando illas Chriſti excellentias, & ſic pariter diſcretè exhibendo diſtinctos, & ſucceſſivos adorationis actus; ut ſi quis in praxi ità Chriſtum adoraret; adoro te Chriſte ob increatam excellentiam tuæ divinitatis; adoro te etiam ob ſublimem, & ſumam tuam gratiam, & gloriam; ſicut enim hæc locutio per diſtinctas propoſitiones fit ſucceſſivè, ità pariter plures actus in mente illi correſpondent. Tum quia licet dari poſſit caſus, quo unus actus ſimul à pluribus eliciatur virtutibus, ut dictum eſt *lib. 2. diſp.* de Actibus humanis, dici tamen non debet, id eſſe ità neceſſarium, ut non poſſint ſingulæ illæ virtutes diſtinctim ſuos elicere actus. Tùm denique quia parum refert, an talis adoratio Chriſti humanitati delata ſit phyſicè actus diſtinctus, vel non, dummodò concedatur, quod humanitati Chriſti deferatur adoratio ob excellentiam creatam, & quod talis adoratio, ut ſic, ſit inferior Latria; hoc
enim

enim ſemel conceſſo, quantùm ſpectat ad rem moralem, habetur intentum, ſicut in aliis moralibus actibus per ſe attenditur ſpecies, & diſtinctio moralis ſpecifica, ſivè phyſicè ſint actus diſtincti, ſive unus.

226 Sed Dices, quod eſtò hæc doctrina ſit vera loquendo de humanitate a Verbo præciſa, & ſecundum dona creata conſiderata præter unionem, ſub tali namque conſideratione utique non plus meretur, quàm Hyperduliam; tamen inter hæc dona includendo etiam unionem hypoſtaticam exigere videtur adhuc adorationem altioris ordinis, nempè Latriæ, quia ſic in termino adorationis involuitur etiam Verbum, licet ſola unio ponatur motivum, & ratio formalis talis adorationis. Ratiò eſt, quia talis unio eſt conjunctio phyſica cum divinitate, quamvis non ſit ipſa divinitas; ergo meretur adorationem Latriæ; probatur conſequentia, nam omnia quæ intrinſecè attingunt, vel concernunt divinitatem, merentur eam adorationem, ut patet in Cruce; Hac ratione Suar. *diſp.* 52. *ſect.* 2. Arriag *diſp.* 53 *ſect.* 5. Amic. *diſp.* 32. *ſect* 2. & alii Recentiores contendunt, humanitati ſic conſideratæ, nempè cum unione, deberi honorem Latriæ, non tamen ita perfectæ, ſicut eſt illa, qua adoratur ipſa perſona Verbi. Dicendum tamen eſt, humanitati etiam ſic conceptæ non deberi, niſi cultum Hyperduliæ, & quidem ſupremæ, qui poſſit tribui creaturæ, ratione unionis hypoſtaticæ, quæ eſt ſupremum donum creaturæ communicabile; & ratio eſt, quia unio hypoſtatica etiam ad Verbum terminata eſt quid creatum; ergo tendendo in ipſam, ut in obiectum motivum, & formale adorationis, non niſi Hyperduliam exigere poteſt; Tùm quia licet Verbum aliquo modo apprehendatur, ſemper tamen unio in ſe concipitur, ut quid creatum; ſicut creatura, ut creatura non poteſt concipi abſque reſpectu ad Deum, & nihilominus adoratur modo ſibi debito. Tùm quia actus adorationis non conſiſtit in ſola apprehenſione excellentiæ naturæ adorandæ, ſed etiam in affectu ſubmiſſionis erga naturam ipſam adorandam; ergò eſtò adorans neceſſariò apprehendat Chriſti humanitatem Verbo conjunctam, poterat nihilominus ei exhibere affectum propter ſolam excellentiam creatam. Tùm deniquè quia hæc planè eſt diſtincta, & inferior adoratio ab illa Latria, quæ exhibetur Deo in ſe, & cuilibet perſonæ divinæ, ſicut & diverſa eſt excellentia Dei in ſe, ac humanitatis Deo unitæ; Nec ſuffragatur, quod dicunt hanc Latriam eſſe imperfectiorem illa, nam vel hæc imperfectio eſt intrà eundem ordinem, vel in diverſo; non primum, quia magis, & minus in eodem genere, & ordine non variat ſpeciam; at excellentia creata, & increata variant eſſentialiter ſpecies adorationis; ſi verò hæc imperfectio eſt in diverſo genere, & ordine, ſatius erit illam appellare Hyperduliam perfectiſſimam, & ſupremam, quam Latriam imperfectam. Neque exemplum illud de Cruce eſt ad rem; quia adoratio humanitatis cum unione eſt adoratio abſoluta; non reſpectiva, ſicut eſt adoratio Crucis; Siquidem hæc excellentia verè eſt in humanitate, ut ſupra dictum eſt. Et licet concipiendo humanitatem cum unione involvatur quoque Verbum, ut terminus unionis, non tamen, ut terminus adorationis, ſed præſcinditur ab illa ſubſiſtentia, tanquam ab obiecto primo, & in recto cognoſcibili.

227 Tertiò tandem probatur poſſe licitè, ac decenter talem exerceri adorationem erga Chriſti humanitatem; cùm enim re vera talis excellentia reperiatur in Chriſti humanitate, & ex natura ſua afferat dignitatem cultus, ac venerationis; nulla incongruitas apparet, nullaque indecentia ut talis dignitas recognoſcatur, ac veneretur actu honoris ei proportionato; & licet fortè dedeceat humanitatem ſic apprehenſam ſolo Hyperduliæ cultu adorare, omiſſo Latriæ; non tamen dedecet illam diſtincto cultu colere; & venerari, nempè Latriæ ratione dignitatis increatæ, & Hyperduliæ ratione dignitatis creatæ ſupremæ; ſicut licet dedeceret Regem, qui ſimul eſt Comes, ſolo Comitis titulo honorare omiſſo Regio, non tamen incongruum eſt utroque titulo, tùm Comitis, tùm Regis ſimul illum honorare. Confirmatur, quia Patres obſervant in adoratione, & oblatione Magorum thus quidem oblatum Chriſto fuiſſe, tanquam Filio Dei, myrrham verò, ut homini, aurum tandem, ut Regi; non ergò incongruum eſt adorare Chriſtum aliis titulis, infra ſupremum illum Filii Dei; & hoc quidem fieri poteſt diſtinctis, & ſucceſſivis actibus ſic Chriſtum alloquendo, ut ſatis veriſimile eſt Magos feciſſe; Adoro te Chriſte Deus, & Homo ob increatam excellentiam divinitatis tuæ, quia Filius es Dei; Adoro te etiam ob ſummam, & ſupremam gratiam, & gloriam tuam; nulla, inquam, incongruitas, nulla indecentia in his actibus prorſus apparet.

228 Tandem probatur ad hominem, quia Adverſarii quoque concedunt poſſe nos uno actu adorare Chriſtum propter excellentiam divinam, & ob excellentiam creatam humanitatis; qui actus eſſet ſimul Latria, & Hyperdulia perfecta prout ad diverſas excellentias terminatur; & hunc actum dicunt eſſe licitum, & decentem, quoniam licet ſit Hyperdulia, non tamen habet imperfectionem Hyperduliæ, quæ conſiſtit in negatione perfectioris cultus, quoniam eſt ſimul Latria; At hoc idem ſalvatur etiam, ſi non eodem actu, ſed diverſis ſimul adoretur Chriſtus propter diverſas illas excellentias, quoniam tunc non adeſſet negatio perfectioris cultus; qua ratione ſuprà dicebamus *n.* 225. parum referre, quod talis adoratio fiat, uno, vel pluribus actibus, dummodò concedatur humanitati Chriſti poſſe cultum deferri Latria inferiorem, quia quantum ad rem ipſam hoc ſolùm ſufficit ad noſtram concluſionem; licet rationabilibus illi actus ponerentur diſtincti ex diſtinctione obiectorum formalium ſpecifica.

Dices ſaltem hinc ſequi, quod ſi actus Hyperduliæ eſſet ſolus, quod contingeret ſi non fieret ſimul cum actu Latriæ, ſed ſucceſſivè poſt illum, non eſſet licitus, quia tunc haberet imperfectionem Hyperduliæ, nempè negationem perfectioris cultus, ſcilicet, Latriæ, qui etiam debetur humanitati Chriſti. Negatur conſequentia, quia ut ait Bellutus, adoratio minor non eſt alicui illicita, niſi quando adeſt animus negandi majorem ex perfectiori excellentia debitam; quare cùm adoramus humanitatem Chriſti Hyperdulia, profitemur utique inter nos, & illam tantam eſſe diſtantiam, & illam collocamus in tali ſede dignitatis, non tamen ob id negamus illi majorem diſtantiam, aut majorem excellentiam, hoc enim eſſet ſi nollemus majorem exhibere cultum, ſicut quando, præſcindendo à rationalitate, dicimus hominem eſſe animal, verum dicimus, quia non ob id intelligimus illi negare rationalitatem, ſed unum affirmamus, & aliud non negamus.

229 Contrà noſtram aſſertionem arguunt Adverſarii cum Vaſquez, quia licet non repugnet concipere humanitatem, prout præcisè habentem dona gratiæ accidentalis, non conſiderata unione, quam habet ad Verbum, & ſub iſta conſideratione, & præciſione eam venerari, non conſiderata unione, nec adorato Verbo, quia adhuc ſub iſta conſideratione eſt obiectum amabile, & venerabile, tamen ſi conſideretur, & adoretur humanitas, ratione unionis hypoſtaticæ ad Verbum, hoc ipſo adoratur etiam Verbum, quia conſiderando humanitatem, ut ſanctam, & ut Verbo unitam, in hoc conceptu includitur ipſa Deitas, quæ eſt forma illam humanitatem ſubſtantialiter ſanctificans, ergo neceſſariò tunc adorabitur humanitas cultu Latriæ, quia tunc, Deitas, & Verbum ſe haberent, ut rationes adorandi, & humanitas, ut res adorata. Addit Vaſquez nec poſſe humanitatem apprehendi abſque unione ad Verbum cum aliis tantùm donis ſupernaturalibus, ſicut qui intuetur imaginem Regis, ſtatim in ea apprehendit regiam dignitatem, per quam etiam illam ab aliis hominibus diſtinguit.

230 Reſpondeo negando aſſumptum, non enim opus eſt, ut qui recognoſcit, & cogitat omnem obiecti excellentiam, adoret quoque ob ſuperiorem excellentiam, ſed poterit adhuc præſcindere, & adorare ob inferiorem, ſicut poteſt illam laudare, & glorificare, ut Vaſquez ipſe concedit *diſp. cit. n.* 60. non enim eſt major ratio, cur laudes, quæ ſine dubio ſunt actus intellectus, verſari poſſint circa alia dona humanitatis, non cogitando de deificatione, & non etiam actus adorationis. Et ratio eſt, quam ſupra non ſemel inculcavimus, quia cùm actus adorationis non in ſola apprehenſione conſiſtat naturæ adorandæ, ſed etiam in affectu ſubmiſſionis erga naturam ipſam adorandam, etiamſi adorans neceſſariò apprehendat Chriſti humanitatem Verbo conjunctam, poterit nihilominus ei exhibere affectum propter ſolam excellentiam creatam: Ad probationem illius aſſumpti dico Deitatem, & Verbum in illo conceptu includi non quidem in recto, ſed in obliquo, & ideò negatur conſequentia, ad cujus probationem dico, non Deitatem, & Verbum ſe habere in iſto caſu, ut rationem adorandi, ſed ipſam unionem, inter quæ duo magnum verſatur diſcrimen, nam excellentia Dei in ſe eſt increata, & eſſentialis Deo, at excelentia humanitatis per unionem eſt creata, & ſatis per ſe patet quantæ majoris excellentiæ ſit eſſe Deum per eſſentiam, quàm uniri Deo in unitate perſonæ per gratuitam unionem. Atque ideò differt hæc adoratio humanitati exhibita ratione unionis ab illa Latria prius dicta concomitanter, attingere humanitatem, quia in illa adorabatur per ſe, & directè perſona divina ob excellentiam ſuam increatam, & per concomitantiam coadorabatur humanitas illi ſubſtantialiter conjuncta, ſed in hac alia adoratione per ſe, & directè adoratur ipſa humanitas ob excellentiam, quam in ſe habet per unionem. Quod addebatur à Vaſquez conſtat falſum eſſe ex dictis *numer.* 222. neque exemplum de imagine Regis adductum eſt ad rem, quia adoratio humanitatis cum ſupernaturalibus donis concepta eſt adoratio abſoluta, & non reſpectiva, ſicut dicitur adoratio imaginis, ſiquidem hæc excellentia verè eſt in humanitate.

231 Secundò obiicit Vaſquez talem adorationem ſaltem eſſe indecen-

decentem, quia adorare aliquem, & non ob ſummam dignitatem, quam habet, eſt indecens, ac illi iniurioſum, ut in humanis, ſi quis ſimul eſſet Rex, Dux, & Comes, non tamen poteſt decenter coli ſolo honore Comiti debito; ſed ſi colatur, debet coli, ut Rex; Confirmat Cardinalis de Lugo, quia adoratio eſt ſignum diſtantiæ inter nos, & rem adoratam, & quò maior eſt cultus, maiorem profitemur diſtantiam; ergo ſi non adoramus illum omni honore debito, iam eo ipſo quaſi ſignificare volumus illum non eſſe tam à nobis diſtantem, quàm reipſa eſt. Rurſus ſi præciſio iſta valeret reddere licitum tale adorationis genus, ſequeretur poſſe etiam Chriſtum in concreto adorari Hyperdulia, quia poſſum ego tunc habere pro ratione formali, non quidem excellentiam divinitatis, ſed gratiam habitualem, & alia dona accidentalia, quæ ſunt in Chriſto; cùm ergo ratione horum donorum non debeatur Latria, ſed Hyperdulia, conſequens eſt, ut Chriſtus poſſit tunc adorari Hyperdulia, & per conſequens etiam divinitas ipſa, quam includit Chriſtus in concreto, adoraretur Hyperdulia, quod eſt abſurdum, cum hic ſit cultus creaturis aſſignatus. Denique ſi hæ præciſiones valerent ad exhibendum cultum, poſſemus etiam ulterius humanitatem præſcindere, non tantum ab unione, ſed etiam ab omnibus gratiæ donis ſupernaturalibus, in quo ſtatu cùm non ſit digna aliqua adoratione, poſſemus illi ſic conceptæ ſuam exprobare uilitatem & abiectam ipſius conditionem.

232 Reſpondeo negando conſequentiam, nam primò argumentum inſtantiam patitur in laudibus; ſi enim ſecundum Vaſquez licet laudare ſolam Chriſti humanitatem non laudato Verbo, ſic pariter licebit de adoratione, nec ulla ſufficiens diſparitas poteſt adduci; ſicut enim dicere poſſum orando, laudo te, ò Sanctiſſima anima, ob gratiam habitualem, ob viſionem beatam &c. ſi pariter dicere poſſum Adoro te, ò Sanctiſſima anima, quia gratia, & gloria ſumma es ornata; &c. Tunc igitur tantùm eſt indecens, ac iniurioſum Superiori minorem ei deferre cultum, & honorem, quando denegaretur, vel prætermitteretur maior ei debitus, ut ſi quis Regi tribueret titulum Ducis, vel Comitis omittendo titulum Maieſtatis; At iniurioſum non eſt, ſi deferendo illi honorem maximum, illumque quoque honoret ob minores dignitates, nam Rex Hiſpaniarum quoque in ſuis edictis vocat ſe non ſolùm Regem, ſed etiam Comitem, undè nulla indecentia eſſet, ſi quis eum recognoſcat, & honoret, & tanquam Regem, & tanquam Comitem: Sic pariter in propoſito, ſi quis ſubtracto, vel prætermiſſo Latriæ cultu, Chriſto exhiberet minorem cultum ob alias humanitatis dignitates, utique indecenter, ac iniurioſè ſe gereret; at retento, & delato ei ſupremo cultu, indecens non eſt eum honorare ob alias quoque humanitatis eius prærogativas; ſic enim Magi in ſua adoratione fecerunt, poſtquam enim thus illi obtulerunt, ut Filio Dei, aurum etiam obtulerunt, ut Regi, & myrrham, ut homini. Ad Confirmationem negatur conſequentia, ſiquidem cùm adoramus Chriſti humanitatem Hyperdulia, profitemur utique inter nos, & illam tantam eſſe diſtantiam, & illam collocamus in tali ſede dignitatis, non tamen ob id denegamus illi maiorem diſtantiam, aut meiorem excellentiam; imò potius hoc eſt ſe profiteri illo inferiorem pluribus, & variis titulis iuxtà gradum, & valorem ſingulorum; Sicut etiam in laudibus poſte quis alicuius Herois unam celebrare excellentiam, & non aliam, etiamſi eſſet maior, nec tenetur eum ſemper laudare, quantum ei deberetur.

233 Ad 3. concedo ſequelam, ſi ſermo fiat de adoratione, quæ per communicationem idiomatum tribuatur toti Chriſto in concreto; at ſi intelligatur volitionem noſtram ferri etiam tunc in divinitatem, ſeù Verbum partialiter, negatur ſequela, nam Verbo nulla excellentia accreſcit ex unione cum humanitate, ac proindè non ſit adorabile Hyperdulia, niſi per communicationem Idiomatum, ſicut per eandem dicitur mortuum; Sed inſtabis, ſicut dicebamus ſuprà per Latriam Chriſto debitam ratione Deitatis coadorari ſimul humanitatem eodem adorationis genere; ità ſequeretur per hanc aliam inferiorem adorationem Hyperduliæ coadorari Deitatem, & perſonam Verbi. Concedunt aliqui ſequelam cum Suarez *loc. cit.* at rectius negant alii ob rationem allatam, quia humanitas quidem maximè ſublimata fuit per conſortium Deitatis, & ità facta fuit particeps tantæ dignitatis, ut meritò ſimul cum Verbo coadorari dicatur; At è contrà perſona, & natura divina ſublimata non eſt per conſortium, & aſſumptionem humanæ naturæ, imò potius depreſſa, & ideò non dicetur coadorari per adorationem humanitatis Hyperduliæ, ſicut dicebatur coadorari humanitas per Latriam in adoratione Verbi. Ad ultimum optimè ait Arriaga eſſe inſtantiam ad terrendos ſimplices; nunquid quia fides docet humanitatem Chriſti eſſe de nihilo, eſſe creaturam, eſſe deſtruibilem &c. exprobrat ei vilitatem ſuam, aut illam contemnit? Deindè aliud eſt à Chriſti humanitate ea dona præſcindere, aliud ea negare, primum ſolùm concedimus, non verò ſecundum; deberet autem pro ea exprobratione hoc ſecundum ſupponi, quod ſine dubio eſt hæreticum.

234 Tertiò obiiciunt ex Conciliis, & Patribus, qui ducent Chriſti humanitatem una eſſe cum Verbo adoratione colendam, neque Chriſtum pluribus adorationibus eſſe colendum, & dividendum; Quæ teſtimonia ſatis prolixè inducit Vaſquez *diſp.* 96. *cit. à num* 37.

Reſponſio communis, & clariſſima eſt Concilia, & Patres locutos eſſe contrà Neſtorium, qui ſicut duas perſonas in Chriſto agnoſcebat, ità duas totales adorationes eidem concedebat, unam, qua ut Deus, alteram, qua ut homo eſſet adorandus; nos autem non duas aſſerimus totales in Chriſto adorationes, ſed unam duntaxat, qua & Deus ſimul, & homo adoretur adoratione Latriæ; addimus tamen poſſe humanitatem ratione præciſam à Verbo non totali, & ultimata, ſed partiali, & inchoata adoratione coli, quia non negarunt Patres, & Concilia, poſſe, ac debere duplicem adorationem deferri Chriſto ex parte cauſæ, hoc eſt, excellentiæ, ob quam adoramus, & hoc ipſum fatetur Vaſquez *loc. cit. n.* 34. Patres, ſcilicet, & Concilia non negaſſe adorationem, qua Chriſtum colimus, habere diverſam rationem, ſcilicet, Latriæ, & Hyperduliæ ob diſtinctas dignitates, & excellentias duarum naturarum in ipſo exiſtentiam; ſed tantum aſſeruiſſe unam, & non duplicem adorationem deferri Chriſto debere ex parte perſonæ adoratæ, ideſt, unam ſolam perſonam perſonatam adorari debere ſub nomine Chriſti, & Verbi incarnati; Quod totum ſalvatur in noſtra ſententia, quia abſolutè loquendo per omnem, & quamcunque huiuſmodi adorationem dicetur adorari idem Chriſtus, una perſona Chriſti, quia unus, & idem Chriſtus eſt Deus, & homo, & habet excellentiam divinam ſimul, & humanam, & ſic ſemper eſt una adoratio totalis, & ex parte perſonæ, quia ſemper unus eſt, qui adoratur; undè hæ tantùm propoſitiones in propoſito vitandæ ſunt, quæ ſuppoſitorum diſtinctionem indicant; & hæc eſt generalis reſponſio ad omnia illa teſtimonia à Vaſquez adducta, quibus etiam ſingillatim reſpondet Arriaga *diſp.* 53. *cit. ſect* 6.

235 Hic quæri ſolet, an Chriſto, ut perfecto Redemptori debeatur cultus Latriæ; in qua dubitatione Amicus *diſp.* 32. *ſect.* 2. Scotum adducit pro parte negativa 3. *diſt.* 9. *q. un.* §. *ſed reſtat* cujus fundamentum ait eſſe, quoniam ratio propter quam nos Chriſtus formaliter redemit, fuit creata, fuit enim ipſa humanitas ornata, & prædita tantùm gratia creata; nam per id Chriſtus nos condignè redemit, per quod fuit cauſa condignè meritoria amiſſæ gratiæ; fuit autem cauſa condignè meritoria amiſſæ gratiæ per humanitatem, ut præditam ſola gratia creata; ergo &c. Oppoſitum, inquit, Amicus eſſe tenendum, nempè Chriſto, ut Redemptori, debitum eſſe cultum Latriæ; ratio eſt, quia nulla pura creatura cum ſola gratia ordinis creati ſufficiens fuit ad nos condignè à peccato redimendos, ſed neceſſaria fuit aliqua perſona increata, quæ aſſumptæ naturæ ſufficientem condignitatē communicaret, ut poſſet ſuis operibus condignum prætium pro peccato offerre; Undè ad fundamentum Scoti negat humanitatem Chriſti per ſolam gratiam creatam fuiſſe cauſam condignè meritoriam noſtræ ammiſſæ gratiæ.

Verùm ſi Scotus attentè legatur *loc. cit.* non ita reſoluit propoſitum dubium; etenim *art.* 3. §. *ſed contrà*, ubi illud movet, ita proponit argumentum: dominium quod habet Deus in creaturis eſt propter creationem ex Auguſt. 5. de Trinit. *cap. ult.* ubi ait Deum non niſi in tempore acquiſiviſſe actuale dominium in creaturas, ſicut & in tempore ſolùm ipſa creatura fuit ſerva: ſed tanta ratio dominii videtur competere Deo propter beneficium redemptionis, ſicut creationis, ergo ita debetur cultus Latriæ Redemptori, ut Redemptori, & ratione redemptionis, ſicut creatori ratione creationis, minor probatur ex illo ad Galat. 8. *Empti eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*; ergo propter hoc ſumus eius ſervi, quia redempti. Deindè §. *Reſpondeo* ſolvens dubium inquit, nos duplicem poſſe tenere viam; vel quod excellentia, & ſumma bonitas Dei in ſe ſit ratio adorationis Latriæ. Vel eadem, ut ſe communicans creaturis per beneficia creationis, & redemptionis, & ſecundum hoc rurſus, ait eſſe diſtinguendum, vel ut ſe per redemptionem communicat principaliter redimendo, ideſt, tanquam cauſa prima redemptionem ſtatuens, finem, & media diſponens, & merita ad illam acceptans. Vel ut ſecundaria cauſa, prima tamen in ratione meriti, quia Deus mereri non poteſt.

236 Hac præmiſſa doctrina inquit, quod ſi primum aſſeratur, tunc argumentum applicatum ad Chriſtum ut Redemptorem, non concludit, quia illa natura, in qua exercuit opera redemptionis, non habet iſtam infinitam bonitatem intrinſecam; qualitercunque ipſa eſſet ratio, vel principium conferendi nobis ſummum bonum; Undè iuxtà hanc viam maior eſt falſa, quod ſcilicet dominium Dei in ſe, ac veluti in actu primo, & radicaliter illi obveniat in tempore, & per creationem, quia

Deus

Deus ab intrinſeco, & ab æterno Dominus eſt creaturarum ità poſſibilium, ac exiſtentium; quarè dictum Auguſtini verificatur tantùm de actuali dominio ex correſpondentia ſervitutis exſurgente; ideoque cùm natura humana Chriſti non habeat in ſe illam excellentiam, maieſtatem, ac bonitatem Dei, non meretur Latriæ cultum. Si autem teneatur ſecundum, nempè Dei perfectiones per beneficia impenſa creaturis eſſe rationes etiam huius cultus, adhuc minor argumenti eſt falſa, quia non ſunt eiuſmodi, ut rationes ſecundariæ, & meritoriæ, qualiter humanitati Chriſti, vel Chriſto, ut Homini competunt, ſed ſolùm, ut primariæ, & principales rationes, quæ in ſolo Deo reperiuntur; & ideò inquit Doctor, quod Chriſtus ſecundum naturam humanam, etſi fuit redemptor, non tamen ſecundum naturam iſtam principaliter effecit redemptionem, ſed tota Trinitas; & ità ſalutem nobis collatam per redemptionem tantùm effecit meritoriè, & inſtrumentaliter ut Homo; non autem debetur ſumma reverentia ei, à quo non principaliter, ſed ſecundariò habemus ſummum bonum; Tenet itaque Doctor utique partem negativam quæſiti, quod Chriſto, ut Redemptori meritoriè, vel ut cauſa ſecundaria redemptionis, non debetur cultus Latriæ, non tamen ob rationem ab Amico inſinuatam; ſed quia vel ſola excellentia, & ſumma Dei bonitas eſt ratio adorationis Latriæ iuxta primam viam; vel hæc eadem bonitas, ut cauſa primaria, & principalis redemptionis, non verò ſecundaria, & meritoria duntaxat iuxta alteram viam; Et rurſus falſum eſt ſecundum Scotum, Chriſtum de facto fuiſſe cauſam condignè meritoriam amiſſæ gratiæ per humanitatem; ut prædictam ſola gratia habituali, quaſi nihil ad talem condignitatem contulerit, gratia unionis, ſiquidem ex hac præcipuè dependet infinitas meriti, & ſatisfactionis Chriſti, ut conſtabit *diſp. ſeq.* an verò pura creatura ſine tali unione prædita ſummitate gratiæ, qualem habuit Chriſtus, potuerit pro nobis condignè ſatisfacere dicemus *diſp.* 4.

QUÆSTIO DECIMA.

Quæ adoratio debeatur Imagini Chriſti.

237 NOmine Imaginis, vera rei, ac prototypi ſimilitudo intelligitur, in quo imago differt ab Idolo, quod eſt falſa ſimilitudo, ut latè Vaſquez *diſp.* 1. de Adoratione *c.* 1. 2. & 3. Dupliciter autem poteſt imago conſiderari, primò materialiter, & ſubiectivè, ut res quædam artificialis eſt ex materialiter, & ſubiectivè, ut res quædam artificialis eſt ex materia ligni, vel auri conſtans, & figura; ſecundò formaliter, & repræſentativè, inquantum imago eſt, & actu exercet officium imaginis. Primo modo certum eſt apud Catholicos imagines Chriſti, vel Sanctorum nullo cultu eſſe dignas, quia ut ſic ſunt res quædam inanimes honoris, & cultus penitus incapaces; ſed tantùm ſecundo modo, quo pacto componunt unum cum exemplari in eſſe repræſentativo, quia ut ſic concipi nequeunt, niſi ut obiectivè coniunctæ cum ſuo prototypo, ex quo, & imagine ipſa fit unum obiectum actum adorationis adæquatè terminans. Et in hoc ſenſu Chriſti imagines, reliquorumque Sanctorum eſſe adorandas fidei dogma eſt contra Iconomachos in Sexta Synodo ſeſſione ſeptima quæ veritas iterum renovata, & confirmata fuit in Concil. Florentino in fine *ſeſſ.* 5. ac demum in Tridentino *ſeſſ.* 25. Quarè certum eſt, ac de Fide uſum Sacrarum Imaginum licitum eſſe, ac ludabilem, ut ex earum aſpectu fidelium animi excitentur, atque inflammentur tùm ad prototypa ipſa, quæ repræſentant colenda, & adoranda, tùm ad eorum actiones hæroicas imitandas, & gratias ab iiſdem impetrandas, ut diſcurrit Damaſcenus *l.* 4. *Fidei c.* 17. & D. Bonavent. 3. *diſt.* 9. *art.* 1. *q.* 2. quem in hac materia ſequemur in omnibus, cùm Scotus de ea non agat.

238 Quoniam verò Concilia definiunt ſolùm adorandas, & colendas eſſe Imagines Chriſti, & Sanctorum, modum autem quo illæ ſint adorandæ, & colendæ, non definiunt; orta eſt contentio inter Scholaſticos de modo adorationis earum; & quia imago formaliter conſiderata per modum imaginis dupliciter adorari poteſt; primò ut nec ipſa ſit ratio adorandi, nec terminus adorationis, ſed ſignum tantùm rememorativum, quo excitatus Homo per affectum tendit in ſolum prototypum, tanquam in obiectum integrum adorationis. Secundò, ut affectus adorantis non ſolùm tendat in prototypum, ſed etiam in ipſam imaginem, tanquam in obiectum partiale, minus tamen principale, & ſecundarium, tamenſi ratio adorandi ſit ſola prototypi excellentia, & ſanctitas. Durandus in 3. *diſt.* 9. *quæſt.* 2. cenſet primo modo duntaxat imagines eſſe adorandas, adeout imago nullo pacto ſit terminus, & obiectum adorationis, ſed ſola conditio, ad cuius præſentiam fit rememoratio rei, quam rememoratam adoramus eadem adoratione, qua ipſam adoraremus, ſi eſſet præſens. Quæ quidem ſententia, ſi ita intelligatur, ut videtur re vera velle Durandus, ut nullo pacto imago ſit terminus adorationis, neque interioris affectus, neque exterioris ſubmiſſionis, & notæ, ſed utriuſque terminus ſit ſolum exemplar per imaginem expreſſum, communiter à Scolaſticis reiicitur, tanquam contrà definitionem Conciliorum, in qua abſolutè præcipitur adorandas, & colendas eſſe imagines; quod autem nullo modo eſt terminus adorationis, non poteſt abſolutè dici adorari, nam adorari nil aliud eſt, quàm eſſe terminum adorationis; Quare volunt Imagines eſſe verè, & propriè adorandas; tanquam obiecta terminativa adorationis, & non ſolum quia faciunt nos recordari rerum, quæ in ipſis repræſentantur, quia ſi imago ſe haberet ſolùm, ut movens, & excitans, non verò, ut adorationem terminans, ſic quælibet creatura poſſet adorari, ſiquidem quælibet movet nos, & excitat in memoria Dei, quem adoramus.

Itaque conveniunt Scholaſtici in hoc puncto, quod non tantùm primò modo debeant adorari imagines, ut ſigna, tantùm rememorativa, ſed etiam ſecundo modo, itaut affectus adorantis non ſolùm tendat in prototypum, ſed etiam in ipſam imaginem, tanquam in obiectum partiale, minus tamen principale, & ſecundarium, quamvis ratio adorandi ſit ſola exemplaris excellentia, & ſanctitas. Sed adhuc in hoc modo adorationis explicando eſt gravis controverſia inter Vaſquez, & Suarez, ſiquidem ille *diſp.* 108. per totam docet non poſſe imaginem adorari, quin adoretur etiam exemplar ipſum in recto, imò itaut affectus interior ſolùm feratur in exemplar; Undè vult in adoratione plures actus intervenire; nam in primis, aliquis propter excellentiam propriam cognitam in Chriſto ſe illi ſubmittit, deinde exhibet aliquam externam notam illius interioris ſubmiſſionis, nempè genuflexionem, capitis inclinationem, &c. dicit ergo ſubmiſſionem internam nullo modo ferri ad imaginem, quia imago non eſt capax ſubmiſſionis, ſed tantum fertur ad imaginem illa exterior nota, nempe genuflexio, vel inclinatio, quia licet non habeam ſubmiſſionem internam imagini, ipſam tamen imaginem oſculor; ipſique genuflecto propter excellentiam exemplaris, cui interiorem ſubmiſſionem exhibeo. Suarez verò è contra *diſp.* 54. per totam non minus fuſè, Tannerus *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 2. Cardinalis de Lugo *diſp.* 36. *ſect.* 3. Arriaga *diſp.* 56. per totam; Amicus *diſp.* 32. *ſect.* 3. & alii Recentiores licet non negent poſſe adorari eadem adoratione imaginem, & exemplar per modum unius, ſicut adoratur purpura cum Rege, & humanitas Chriſti cum divinitate; volunt tamen imaginem poſſe ſimul cum exemplari ità eandem terminare adorationem, ut etiam interna ſubmiſſio ad eam terminetur itaquod tam exemplar, quàm imago terminent in recto, & per modum unius adorationem; Aſſerunt inſuper poſſe aliquem actum adorationis ferri in recto ad imaginem, quin feratur in recto ad exemplar, ſed ſolùm in obliquo, nam ſicut poteſt amari medium propter finem, & diligi proximus propter Deum, quin finis, & Deus ametur in recto, ſed tantùm in obliquo; ſic etiam poteſt adorari imago in recto, non ſolùm per notam externam, ſed etiam per actum internum propter exemplar, ſine eo quod exemplar terminet actum externum, vel internum in recto, ſed ſolùm in obliquo; in quo ultimo puncto Arriaga *diſp.* 56 *cit. ſect.* 7. ab aliis diſſentit, dicens cum Vaſquez, probabilius eſſe nunquam poſſe imaginem adorari, niſi ſimul adoretur, ut obiectum formale, ipſum exemplar in recto. 239

Rurſus eſt controverſia, an imago cum imaginato, & exemplari adorari debeat eodem, & pari cultu, vel potius diverſo, & inferiori; & hoc ſecundum quamplures affirmante, quia in Synodo 7. *cit. act.* 2. definitum eſt, imaginibus Chriſti deberi quidem adorationem, ſed illam non eſſe Latriam, ſed inferiorem, & ità proportionatim loquitur de Imaginibus Sanctorum, adeout imagines adorari debeant adoratione quadam inferiori, quàm ſuum exemplar, quod tenet Faber *diſp.* 22. *cap.* 6. Caſpenſis *diſp.* 25. *ſect.* 6. Suarez, Amicus *loc. cit.* & alii quamplures. Alii verò paſſim primum affirmare videntur, quia enim tota ratio adorationis in imaginibus eſt excellentia exemplaris, ad quam dicunt habitudinem, ſequitur quod ſi exemplar adoratur adoratione Latriæ abſoluta, imago quoque adoranda erit adoratione Latriæ reſpectiva; ſi exemplar adoratur Hyperdulia, vel Dulia abſoluta, imago pariter Hyperdulia, vel Dulia reſpectiva erit adoranda; Quæ quidem contentio inter Auctores concedentes affectum etiam interiorem, & voluntatem honorandi ferri in imaginem, eſt parui momenti, & de ſolo nomine, ut videbimus; at cum Vaſquez id negante, & aſſerente ſolam exteriorem notam adorationis in imaginem ferri; atque ob id minori, & inferiori adoratione coli, quam exemplar, eſt contentio etiam de re. 240

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

Quæſtionis Reſolutio.

241 DIcendum Primò, nunquam imaginem poſſe licitè, & religioſè adorari, quin ſimul aliqua ratione adoretur exemplar; quod repræſentat. Hæc eſt communis inter Theologos, & convincitur ex verbis Conciliorum, quæ à Recentioribus latè referuntur, in quibus cultus imaginis dicitur eſſe magis cultus exemplaris, quàm Imaginis; & expreſsè ex Tridentini *ſeſſ.* 25. ubi definit non eſſe Imagines adorandas propter aliquam virtutem, aut divinitatem in eis exiſtentem illis verbis: *Sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, itaut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus procumbimus, Chriſtum adoramus, & Sanctos, quorum illa ſimilitudinem gerunt, veneremur* quod etiam confirmat auctoritate Nicænæ Synodi; ſi autem poſſent imagines per ſe, ut integrum adorationis obiectum coli, exemplari non adorato, ut proximo adorationis termino, ac ratione adorandi, ſequeretur eas coli, propter aliquam virtutem in eis exiſtentem, contrà allatam Concilii definitionem. Confirmatur ratione, quia imago ſine ordine ad exemplar non eſt adorationis capax; ergo licitè adorari nequit, quin ſimul aliqua ratione adoretur exemplar, quod repræſentat; aſſumptum probatur, quia imago ſine ordine ad exemplar non eſt natura intellectualis, atque ideò adorationis non eſt capax. Demum, imago rei, quæ nullo honore eſt digna, licitè adorari non poteſt, non alia ratione, niſi quia res repræſentata nullam habet excellentiam, ratione cuius poſſit illi ſe prudenter ſubmittere; ergo niſi aliquo modo res repreſentata adoretur, imago licitè adorari non poteſt; & hac ratione adoratio Imaginum dici ſolet reſpectiva, non abſoluta, quia nimirum non adorantur, niſi per reſpectum ad id quod repreſentant. Undè non ſatis mihi probatur, quod ait Faber *diſp.* 22. *cit. n.* 50. imaginem ſe ſola ſine exemplari poſſe adorari, & eſſe adorationis terminum quia licet imago non adoretur propter ſe, ſed ſemper adoretur exemplar, poteſt tamen adorari ſine exemplari; Hoc inquam, non mihi probatur, nam ex hoc ipſo, quod imago non adoratur propter ſe, ſed ſemper exemplar, potius oppoſitum deduci debet, quod ſine ordine ad exemplar nunquam licitè poteſt adorari, etiamſi adoratio iſta diceretur inferior illa; qua adoratur exemplar; Et hoc ipſum docet ipſe quoque Faber *n.* 48. dùm ex eo probat Imaginem eſſe adorandam adoratione reſpectiva, quia in ſe non habet rationem ullam excellentiæ propriam, cùm ſit res mortua; ergo illi non debetur adoratio abſoluta, ſed in ordine ad exemplatum, & repræſentatum, cuius excellentia in imagine veneratur: eſt tamen adoratio propriè, non abuſivè; quia adoratio terminatur ad illam, tanquam ad obiectum materiale, licet non terminetur ad illam propter ſe, ſed propter aliud, ſicut licet diligamus media propter finem, volumus tamen verè, & propriè media, licet in ordine ad finem. Hæc ibi Faber, quo nihil clarus dicere poterat pro aſſertione poſita.

242 Secundò Dicendum eſt, poſſe eodem adorationis actu ſimul imaginem, & exemplar attingi per modum unius adæquati, & totalis obiecti, itaut exemplar, cum imagine conſtituat unum in eſſe repræſentati. Hæc etiam communis eſt inter Scholaſticos, & valdè conformis Conciliis, & Patribus, ut Suarez oſtendit ubi ſuprà ſect. 4. inter quos præſertim Athanaſius lib. 4. contrà Arrianos paulò poſt ab initio egregiè hanc obiectivam unitatem inter imaginem; & imaginatum expreſſit, quod etiam refertur, & approbatur à Synodo Nicæna iam allegata actione quarta, dum inquit, *quandoquidem in imagine ſpecies Regis, & forma apparet, & in in Rege imaginis ſpecies, ſi quis poſt conſpectam imaginem, velit Regem videre, huic ad hunc modum imago iure loqueretur, Ego & Rex unum ſumus, ego enim in illo ſum, & ille in me, & quod in me animadvertis, id quoque in eo animadvertes, & quod videris in illo videris in me*, ex quo tandem concludit Athanaſius, *qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipſum Regem, cum ipſa imago nil aliud ſit, quàm Regis forma, & ſpecies*. Deinde probatur ratione, nam ex Ariſtot. 2. de Reminiſcentia idem motus eſt in imaginem, ut imago eſt, & in rem, cuius eſt imago; & eſt id, quod SS. Patres dicunt; honorem imaginis ad prototypum, & exemplar tendere; cùm enim imago, ſit eſſentialiter expreſſio, & ſimilitudo ſui exemplaris, nequit obiici intellectui abſque habitudine ad ſuum exemplar, ergo idem actus adorationis fertur in imaginem, qua imago eſt, & in prototypum. Denique probatur exemplo ſuperius allato de Rege, & purpura paſſim ab Auctoribus adducto, nam ſicut eodem actu adoratur perſona Regis, & eius purpura, ita eodem actu adoratur exemplar, & eius imago; nam ſicut perſona Regis facit unum in eſſe veſtiti cum purpura, ita exemplar conſtituit unum in eſſe repræſentati cum imagine.

Cardinalis de Lugo ubi ſuprà *ſect.* 5. *num.* 63. & 64. eſtò hanc concluſionem abſolutè defendat, addit tamen de facto nunquam hoc modo imaginem adorari cum exemplari, nempè utrumque ſimul in recto per modum unius aggregati ex imagine, & exemplari, ſicut colitur aggregatum ex Regie & eius purpura, quia non facilè apprehendimus unum, quaſi complexum ex imagine, & exemplari, ſicut ex Rege, & purpura; ratio eſt, quia licet inter ea, quæ localiter, aut alio modo ſunt coniuncta, ut purpura cum Rege, fieri ſoleat una repræſentatio utriuſque per modum unius obiecti, ſeù complexi; attamen in his, quæ omninò ſunt inter ſe phyſicè ſeparata; ut imago, & exemplar, non ſolemus facilè ea in unum quid coniungere, cùm nullam inter hæc inveniamus coniunctionem aliquam aptam ad faciendum tale compoſitum. Sed ex modò dictis ſatis conſtat hunc modum conſiderandi exemplar in imagine per modum unius non eſſe adeò difficilem; imò ipſemet ſuperius num. 25. dixerat poſſe eundem actum adorationis ſimul terminari ad imaginem, & exemplar, & ad utrumque in recto, & per modum unius & hunc eſſe frequentem modum adorandi imagines; Neque ad talem conſiderationem exemplaris, & imaginis per modum unius, neceſſaria eſt inter illa aliqua localis, vel alia conſimilis phyſica coniunctio, ſicut eſt inter Regem, & purpuram; ſed ſufficit moralis coniunctio repræſentantis, & repræſentati; quarè ſicut ſufficit, quod purpura ſit juxta Regem localiter, ut ex illa, & Rege unum quid apprehendatur; ita in propoſito ſufficere debet, quod imago moraliter ſit ipſum exemplar, talis enim ſimilitudo, quæ etiam ſuo modo phyſica eſt ob vultus, & faciei delineamenta, facit unam connexionem, & fortè maiorem, quam purpura cum Rege, quod ſufficit, ut poſſint apprehendi per modum unius complexi adorabilis. 243

Quando autem idem actus adorationis terminatur ſimul ad imaginem, & exemplar, & ad utrumque in recto per modum unius adæquati, & totalis obiecti, tunc imago quoque terminat adorationem abſolutam, undè ſi ſit imago Chriſti, adoratur adoratione Latriæ, ſi verò ſit Sanctorum, adoratione Duliæ; & ratio eſt, quia licet imago ſecundum ſe, quando colitur ſola in recto, adoretur propter excellentiam alterius, nempè exemplaris, & ideò adoretur reſpectivè; quando tamen adoratur ſimul illud totum compoſitū ex exemplari, & imagine per modum unius, illud totum adoratur propter excellentiam, quam in ſe habet non propter aliud, & per conſequens totum illud adoratione abſoluta adoratur; ergò ſingulæ partes illius complexi terminant partialiter adorationem illam abſolutam totius; atque ita imago, quæ eſt altera pars illius compoſiti, terminat partialiter adorationem abſolutam.

Eſt tandem & alter adorationis modus, & fortè magis frequens, in quo licet eodem actu ſimul adorentur imago, & exemplar; non tamen per modum unius adæquati, & totalis obiecti, ſed potius diſtinctorum, in quo caſu imago terminat tantùm adorationem reſpectivam, quæ eſt eius propria non verò abſolutam; Fit autem, quando poſteaquam imaginem cultu reſpectivo adoravimus propter exemplaris excellentiam, ad ipſum exemplar ulterius tendimus, ad quod imago nos ducit, adorando illud adoratione abſoluta, ut obiectum ab imagine diſtinctum, propter excellentiam in ipſo exiſtentem. Ratio autem talis modi adorationis eſt quia ſicut eodem actu reſpectivo voluntas fertur in medium, ut à fine diſtinctum & abſoluto in ipſum finem, ut diſtinctum à medio, nàm ad hoc ſufficit habitudo unius ad aliud, ut poſſit unicus actus in duo diſtincta obiecta, etiam ut diſtincta, ferri; licet invicem ſubordinata, ut dictum eſt *diſp.* 7. *de Anima q.* 7. *art.* 1. ita non repugnat eodem actu ferri in imaginem, ut ab exemplari diſtinctam, cultu reſpectivo, & in ipſum exemplar, ut diſtinctum ab imagine, cultu abſoluto. 245

Tertiò dicendum eſt, quod quamvis non poſſit adorari imago, non adorato exemplari, non tamen neceſſe eſt, quod exemplar adoretur in recto, ſeù ut obiectum terminativum *Quod*, ſed ſufficit, quod adoretur in obliquo, ſeù ut obiectum *Quo*; Hæc eſt etiam communior in Schola apud Suarez, Lugo, Amicum, & alios *loc. cit.* Probatur: quando ratio formalis, propter quam potentia fertur in obiectum materiale, non eſt intrinſeca, ſed extrinſeca obiecto, non neceſſariò potentia fertur in illam directè ut in terminum *Quem* ſui actus, quoniam ratio formalis eſt tantùm cauſa movens, & impellens potentiam ad actum, non terminans actum, atque ideò quando non eſt intrinſeca obiecto, quod terminat actum, non neceſſariò erit terminus actus, licet ſit cauſa movens, & impellens ad actum: Sed ratio formalis, ob quam voluntas adorationis affectu fertur in imaginem non eſt intrinſeca, ſed extrinſeca imagini; eſt enim ipſa exemplaris excellentia, ob quam imaginem veneramur; ergo adorans imaginem ob exemplaris excellentiam non neceſſariò ipſo adorationis affectu fertur in exemplar directè, tanquam in terminum *Quem*, Minor patet: Maior probatur variis exemplis; primò quidem in actibus intellectus, & patet de actu ſcientiæ, qui nititur præmiſſis, ut rationibus aſſen- 246